



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate  
Libri Septem**

**Scardeone, Bernardino**

**Venetiis, 1542**

Exordium De pudicitia matrimonii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30433**

BERNARDINI SCARDÆONII  
PRESBY. PATAVINI DE C<sup>A</sup>  
STITATE LIBER SEXTVS.

EXORDIVM.

DE PUDICITIA MATRIMONII.



N principio equidem de castitate dicere proposuisse, statueram sae ne mecum ad comprimendos libi dinis insultus, imbecillitati duntaxat meæ suppetias ferre: mihiique (ut aiunt) & musis canere. Hoc enim rebar me ab eiusmodi concupiscentiis abstinere tantisper posse, donec tota mente honestis studiis, & sollicitus commentationibus assiduus occuparer. Subiit postmodum haud ante fore, nec abesse ab officio sacerdotiis, impudicitiam etiam quorūdam ex nostro ordine, idoneis exhortationibus, ac etiam reprehensionibus (ubi opus fuisset) nō tam meis, quam etiam sapientissimorum virorum sententiis redarguere. Cæterum interscribendum (ut fit) dum aliud ex alio prouenit, coepi uelle omnibus in commune consulere ac nihil quicquam prætermittere intentatum, quod in ea re, aut ad animæ salutem, aut ad uitæ honestatem facere uideretur. Et ita sensim, & quasi furtim, diuino (ut credo) afflatus flamine incidi in hunc amorem scribendi: atq[ue] sic de pudicitia coniugatorum multa passim accumulare studui quæ huic loco mihi uisa sunt cōuenire, & quæ prodesse multis, & obesse nullis possent. Interim uero dum accurate id præstare multa opera cōamur, liber certi: & quum urceus à me coepisset effingi, currente rota, exiit è manibus amphora. Euenit hic nobis in hac re ut de pane illo euangelico legitur qui, antequam distribuet

LIBER SEXTVS.

210

retur, quinq; tantum panes fuerant: et ubi dispartiti sunt,  
duodecim cophinos, saturatis ex eo tot milibus homi-  
num postea compleuerunt. Sicut ergo panis ille exiguis  
dū fragitur, & dispartitur, accreuit: ita & opus nostrū pris-  
mo quidem tenue dum scribitur, & attractatur, ingens uo-  
lumen efficitur. Nec ab re certe factum, omnibus enim  
debitores sumus: nam & Apostolus. Omnia (inquit) om-  
nibus factus sum, ut omnes facerem saluos. Q uamob-  
rem quum plaricq; hominum coniugatorum abusi licen-  
tia nuptiarum foede cōmisdendo sese tam cū alienis fœ-  
minis, quām etiam cum propriis uxoribus peccēt, & cō-  
ingalis continentiae impudenter metam transiliant: operæ  
precium uisus sum facere, si & hos ipsos, tam ex officio  
sacerdoti, quām ex instiuto opere ad horter, & moneam  
ut alienis toris insidiari desistant: atq; simul ut pudice sese  
habeant in coniungiis et nolint attreclare uxores propri-  
as impudentius, quām par sit, & quām soleant fornicato-  
res & adulteri alienas. Q uamobrem boni & candidi le-  
stores oratos uos uelim, ne nostros labores contemnen-  
dos putetis, arbitrantes uestris oculis, & auribus prorsus  
indignos, q; eos de castitate inscriptos prima statim fron-  
te legistis. Per legite quæso omnia sedulo, & cognoscite:  
nec uereamini hic quoq; aliquid sucisiui ac fortasse pes-  
rituri alioqui temporis impartiri: non uos, credo pigebit:  
et ego si impetravero satis mihi repensum, atq; plene sa-  
tisfactū putabo. Paucis autē uobiscum de industria agē-  
dum censui, parique consilio sermonem hunc nostrum  
multa orationis uarietate respersi: ne mihi forte contine-  
gat, quod per multis scriptoribus quotidie uidemus ac  
cidere, qui uel propter prolixitatem abiiciuntur ab occu-  
patis, uel propter ruditatē, à delicioribus cōtemnūtur.

De matrimonio, & eius commodis. Cap. I.

**Q** ualis autem quantaq; fuerit semper apud em-  
nes gentes sanctitas matrimonii, ac uis eius, tam

DD ii